

quidem est, quod Layman, in dicto c. *Si quis justo*, 46, h. t. in 6, et post ipsum Pirhing, h. t. n. 151, doceant, in electionibus regularium, in quibus forma scrutinii exacte non servatur, sed schedulæ obsignatæ in urnam conjiciuntur, nihil abstinere, quin suffragium ita scriptum ab obsente, vel infirmitate detento, mitti possit ad capitulum. Verum hæc sententia non caret difficultate, atque oppositum ejus merito tenet Fagnanus, in c. *Quia propter*, §. *Illud autem*, n. 3, et seqq. h. t. ubi a sacra Congregatione sæpius ita decisum fuisse refert. Accedit, quod tale votum non amplius foret secretum, juxta decretum concilii Trid. sess. 23, cap. vi, de *Regularibus*, præsertim si schedula illa prius ab eis legi posset. Imo nec istud caret periculo, cum procurator, qui portat schedulam obsignatam, possit illam occultare, et loco ejus aliam bene visam ponere; prout olim sæpius factum esse dicebatur.

197. *Capitulares vocati, et electioni interesse nolentes, censentur se fecisse alienos.* — Quæritur IV. Quid juris, si electione debito tempore, ac loco instituta, aliqui vocales adesse nolint, vel inde egrediantur, aut schedulam vacuum mittant in urnam? Resp. I. Si congruo tempore, et loco, instituta electione adesse nolint, qui jus eligendi habent, censentur quasi non essent de capitulo, et tota eligendi potestas residet in aliis. Ita desumitur ex c. *Cum nobis*, 19, h. t. ubi capitulares vocati, et electioni interesse nolentes, vel a loco ipsius recedentes, alienos se fecisse dicuntur: ac notat Abbas, ibid. n. 3, et Layman n. 3, et alii. Concordat c. *Quod sicut* 28, eod. ubi absentia illorum vocalium, qui rite vocati, ad electionem celebrandam accedere nequiverunt, vel noluerunt, hanc minime impedit.

198. *Nec ordinarie compelli possunt, ut intersint electioni.* — Et hinc in c. *Quia propter*, 42, h. t. notanter dicitur electionem esse celebrandam « præsentibus omnibus, qui debent, et volunt interesse: » possunt enim, qui volunt, juri suo renunciare. Siquidem ordinarie loquendo nullus capitularium compelli potest, ut per se, vel per substitutum procuratorem, ad electionis tractatum veniat, juxta allegatum textum, « et volunt interesse. » Nisi forsitan ob speciales circumstantias Ecclesiæ necessitas, vel utilitas postulet, ut omnes intersint: vel nisi alicubi speciale statutum aut consuetudo id requirat. Layman cit. c. *Quia propter*, §. *Illud autem*, n. 2, h. t.

199. *Quid in Ordine Fratrum Minorum de diffinitore, qui non vult convenire in diffinitorio?* — Nihilominus in Ordine Fratrum Minorum, si diffinitor non legitime impeditus, et vocatus, sub aliquo prætextu noluerit convenire in diffinitorio, tunc suo est privatus officio; ut notat Angelus Lantusca in *Theatro regularium*. §. *Diffinitor provincie*, n. 3. Neque in tali casu debet fieri subrogatio alterius patris: quamvis cæteris, si diffinitor aliquis moriatur, vel officium ejus quocumque modo vacaverit, debeat fieri subrogatio in persona patris dignioris; sicut et in absentia diffinitoris legitime impediti pater dignior substitui debet; Lantusca, ubi supra, §. *Subrogatio*, n. 4.

200. *Si cepto electionis tractatu aliqui vocales recedant, procedunt alii sine ipsis.* — Resp. II. Similiter, si cepto electionis tractatu aliqui vocales egrediantur, et redire nolint, possunt alii sine ipsis procedere; dummodo non major pars capitularium fuerit egressa. Ita clare desumitur ex cit. c. *Cum nobis*, h. t. ubi etiam tales sese « alienos fecisse » dicuntur, videlicet a capitulo, jureque eligendi. Idque vel maxime procedit, quando aliqui sine causa recesserunt, arg. c. *Bonæ memorie*, 23, ubi Glossa, §. *Metuebant*; Hostiensis et Butrius, de *Electione*; Compostella in c. *Statuimus*, eod. Accedit ratio: quia, « si defensio est inter canonicos, ibi dicitur esse capitulum, ubi est major pars, » ut inquit Glossa communiter recepta in c. *Cum inter canonicos*, 21, §. *Capituli*, h. t. atque desumitur ex cap. i. *De his, quæ fiunt a majori part. cap.*

Nec obstat, quod recedentes protestentur, et appellent. Siquidem recedendo faciunt se a capitulo, et jure votandi alienos cit. c. *A nobis*, h. t. Et paria sunt, non venire et non expectare finem, can. *Certum est*, ix, q. 3, et cap. i, de *Judiciis*. Unde vocales egredientes frustra protestabuntur, et appellabunt: et quia tanquam alieni, non amplius spectant ad electionem, cessant alii valide ad electionem procedere. Passerinus, cap. xi, de *Electione*, quæst. 11, n. 101; Card. de Luca, discours. 27, de *Canonicis*, n. 9; Petrus a Baisio *Tractatum* tom. XV, in *Directorio electionum*, p. 3, cap. vi. Rota decis. 313, *Recent.* n. 13, part. XIX; Pirhing, h. t. n. 133, et seqq. et alii.

201. *Et idem dicendum, si remaneant quidem, sed votare nolint.* — Idemque dicendum, si qui vocalium remaneant quidem in capitulo, sed votare nolint. Glossa, in Clem. *Quod*

circa, vers. *Quæ in facto*, h. t.; Barbosa, lib. I, *Jur. Eccles. univ.*, cap. xix, n. 224, post Rotam, in *Cæsaraugustana Electionis*, 29 martii 1623, coram D. Coccino et alia Rota coram Merlino, decis. 591, n. 3, et in una Leodiensi, decis. 2082, n. 4; Ferosinus, de *Potestate capituli*, tract. III, q. 5, n. 15; card. de Luca, discours. 53, de *Regularibus*, n. 8.

Atque hæc procedunt, etiamsi dies ad electionem præstituta non esset peremptoria: quia eo ipso, quod capitulum fuerit legitime congregatum pro habenda electione, et illam inchoaverit, fuit jus quæsitum remanentibus pro ea complenda. Hostiensis, c. *Cum nobis*, a num. 17, et Abbas, ibid., n. 10, h. t.; Romanus, consil. 332, n. 15 et 16; Ferosinus, de *Electione*, quæst. 3, n. 9; Rota, in *Recent.*, decis. 388, n. 13, part. 19.

202. *Dummodo non major pars vocalium egressa sit. Quod denuo est limitandum.* — Intellige cum data, n. 200, conclusione, « dummodo non major pars capitularium fuerit egressa. » Quia, si major pars eorum discesserit, censetur velle dissolvere capitularem conventum; unde alii numero pauciores obtemperare debent, arg. cap. i, *De his quæ fiunt a major. part. capit.*, juncta Glossa proxime allegata, et tenet Abbas, in d. c. *Cum nobis*, n. 10, h. t. Quod tamen limita, dummodo non instet terminus ad electionem faciendam a jure præfixus: quia tunc posset procedere minor pars præsens, etiamsi remaneret unicuique, arg. can. ult. dist. 65. Neque enim is tenetur dimittere jus suum propter absentiam aliorum; simulque in termino censetur interpellare, c. *Potuit de Locato*, cum concordantiis. Abbas, cit. n. 10; Petrus de Baisio, ubi supra, cap. vi, c. 7. Idem erit, si consuetudo, vel statutum Ecclesiæ habeat, ut unus, v. g. decanus, vel senior, jus habeat decernendi diem electionis: nam tunc qui venire negligunt, vel temere recedunt, ob suam contumaciam perdunt jus eligendi, ac remanet hoc in solis remanentibus, etsi numero paucioribus. Innocentius, in d. c. *Cum nobis*, in 6, et Layman, ibid. n. 5; Pirhing, h. t., n. 137.

203. *Si schedula vacuo mittatur in urnam votorum ejus, nulla habetur ratio.* — Resp. III. Si quis vocalium schedulam vacuum, seu in qua nullius electi nomen habetur annotatum, miserit in communem votorum urnam, ejus nulla erit ratio habenda. Ita desumitur ex d. c. *Cum nobis*, 19, h. t., ac notat Glossa magna

in Clem., *Quod circa*, 6, h. t.; Navarrus, consil. 7, de *Electione*, 1; Rodericus, tom. II, quæst. *regular.*, quæst. 52, art. 13; Layman, loc. cit. n. 3, et alii. Ratio est: quia talis, qui dedit schedulam vacuum, censetur juri suo renuntiasse.

§ IX.

DE QUALITATIBUS ELIGENDORUM.

204. *Qualitates in eligendis requisitæ, generatim quæ?* — Quæritur I. Quæ qualitates generatim requirantur in eligendis, ac promovendis ad prælaturas, et beneficia ecclesiastica? Resp. I. Hujusmodi qualitates generatim sunt tres, videlicet, « ætatis maturitas, gravitas morum, et litterarum scientia. » Textus est in c. *Cum in cunctis*, 7, § 1, h. t. junctis, concordantiis ibidem relatis a Glossa: quæ licet addat alias duas qualitates, videlicet quod quis sit legitime natus, et constitutus in sacris ordinibus: nihilominus hæc duæ qualitates, sicut et cætera ex parte promovendorum requisita, commode reducuntur ad unam prædictarum trium generalium qualitatum, ac præsertim ad gravitatem morum, utpote quam valde deturpat defectus natalium, atque memoria paterni sceleris; et plurimum commendat dignitas sacrorum ordinum, juxta exigentiam cujuslibet officii, ac beneficii ecclesiastici rite susceptorum. Verum de illis loquendo in specie,

205. *Scientia triplex, eminens, mediocris, sufficiens, quæ?* — Quæritur II. Qualis litterarum scientia requiratur in eligendis ad prælaturas, beneficia, et officia ecclesiastica? Ubi præsupponendum est cum Innocentio in c. *Cum in cunctis*, n. 1, h. t., et Abbate, ibid. n. 4, ac Hostiensi, n. 15; Fagnano, n. 138, citante insuper Joan. Andr. Butr., et reliquos omnes, quod scientia possit triplex distingui, videlicet eminens, mediocris, ac sufficiens. « Scientia eminens » dicitur, per quam quis scit difficiles, ac subtiles quæstiones explicare et diffinire in promptu, absque revolutione librorum. « Scientia mediocris est, » per quam quæstiones difficiles resolvuntur, cum deliberatione tamen, et revolutione librorum. « Scientia sufficiens vocatur, » per quam quis sufficienter potest explere ea, quæ incumbunt officio suo. Et quidem hæc sufficientia debet considerari, atque examinari arbitrio discreti judicis, attendendo ad qualitatem loci, ubi iste habet vivere, et conversari, simulque ad qualitatem officii, et Ecclesiæ,

ad quam quis assumitur, arg. c. *In causis*, 30, § fin., h. t. Quibus præsuppositis,

206. *In eligendis requiritur tanta scientia quanta requiritur ad rite obeundum officium suum.* — Resp. I. Certum est, quod generatim loquendo in eligendis ad prælaturas, atque officia ecclesiastica, requiratur saltem tanta scientia, seu rerum agendarum notitia, quanta est necessaria et sufficiens ad rite exequendum officium suum, ad quod quis eligitur. Alioquin enim procedit illud propheticum Osee, cap. 17. *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Ex quo textu, in c. *Nisi cum pridem*, § *Pro defectu, de Renuntiat.*, recte concluditur quod defectus scientiæ sit justa causa renuntiandi episcopatu. Quia in cap. ult. *de Ætate et qualit. præficiend.* episcopus jam promotus amovetur ab executione pontificalis officii, eo quod nunquam didicerit grammaticam, ac de illitteratura, et insufficientia sua constituerit. Proinde in cit. c. *Cum in cunctis*, § 1, h. t., generaliter dicitur, in cunctis sacris ordinibus, et ecclesiasticis ministeriis, requiri litterarum scientiam.

207. *In episcopis exoptanda est scientia eminentis.* — Resp. II. Licet in episcopis exoptanda sit scientia eminentis, adhuc tamen mediocri, imo et sufficiens ipsis toleratur. Ita communis. Et quidem prior pars patet ex can. *Vilissimus*, 1, q. 1, et can. *Convenientibus*, 4, q. 7, juncta auth. *de Sanctiss. Episcop.*, § *Damus*, collat. 9, ubi indignum reputatur, ut episcopus, qui debet alios docere, quaerat ab aliis edoceri. Accedit concil. Trident., sess. 22, cap. II, *de Reform.* ubi de promovendo ad episcopatum, inter alia sic habet: « Scientia præter hæc ejusmodi polleat, ut muneris sibi injungendi necessitati possit satisfacere: ideoque antea in universitate studiorum magister, sive doctor, aut licentiatius in sacra theologia, vel jure canonico merito sit promotus, aut publico alicujus academice testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. » Hæc ibi.

208. *Sci. sufficiens toleranda.* — Altera pars desumitur ex c. *Cum nobis*, 19, h. t., ubi electus in episcopum, licet non fuerit litteraturæ eminentis, sed tamen convenientis, non censetur pro defectu scientiæ ab electione excludendus. Concordat textus expressus in cit. c. *Nisi cum pridem*, § *Pro defectu, de Renuntiat.*, ibi: « Quamquam, etsi desideranda sit eminentis scientia in pastore, in eo tamen sit competens toleranda: quia secundum Apos-

tolum, *Scientia inflat, charitas autem ædificat*: et ideo imperfectum scientiæ potest supplere perfectio charitatis. » Unde et concilium Trident., loc. cit. talem dumtaxat in episcopo requirit scientiam, ut muneris sui necessitati possit satisfacere; qualis dicitur « sufficiens: » etsi ad hanc eo melius comprobendam concilium requirat, ut quis vel sit doctor, aut licentiatius in sacra theologia, seu jure canonico, aut saltem publico alicujus academice testimonio idoneus judicatus. Imo, quantum est de jure naturali, ac divino, sufficit, quod electus tanta polleat scientia, ut possit vel per se, vel per vicarium, ac ministros, munus suum rite adimplere, simulque noverit prudenter uti ministris, et aliquo modo de ipsorum actionibus judicare. Passerinus, cap. xxv, *de Elect.* n. 18. Unde nunquam fuit auditum, quod in Germania, ubi episcopi præter vicarium generalem, ob amplitudinem diocesium solent adhibere concilium ecclesiasticum, contigerit refutatio alicujus episcopi ob defectum scientiæ.

209. *Qualis scientia requiratur in eligendis ad alias dignitates, et officia ecclesiastica?* — Resp. III. In eligendis, seu promovendis ad alias dignitates, et officia ecclesiastica, requiritur etiam sufficiens scientia, mensuranda juxta qualitatem officii, et beneficii. Fagnanus, in c. *Cum in cunctis*, n. 144, h. t.; Garcias, part. VII, *de Beneficiis*, cap. VII, n. 33 et seqq.; Passerinus, cit. cap. xxv, per totum. Engel, tit. *de Ætate et qualit. præficiend.*, et alii, plura de scientia in singulis prælatis, et officialibus ecclesiasticis requisita disserentes.

210. *In eligendis requiritur ætatis maturitas.* — Queritur III. Qualis ætas requiratur in eligendis, atque promovendis ad prælaturas, dignitates, atque beneficia ecclesiastica? Ubi supponitur ex jam cit. c. *Cum in cunctis*, h. t. in talibus requiri ætatis maturitatem, seu ætatem legitimam, atque a sacris canonibus præscriptam: alioquin electio foret nulla, et scienter eligentes incurrerent pœnas in jure statutas, prout ibidem, § *Clerici*, subjungitur. Concordat, c. *Indecorum*, 3, *de Ætate et qualit. præficiend.*, ubi hujus ratio assignatur: quia videlicet « indecorum est, ut hi debeant Ecclesias regere, qui non noverunt gubernare seipsos; cum ad Ecclesiarum regimen tales personæ sint admittendæ, quæ discretionem præemineant, et morum fulgeant honestate. » Hæc ibi. Quo prænotato

211. *Ac pro quocumque beneficio ecclesiastico ætas quatuordecim annorum, saltem inchoatorum.* — Resp. I. Pro quocumque beneficio

ecclesiastico obtinendo ad minimum de facto requiritur ætas quatuordecim annorum inchoatorum; prout novissime statuit concilium Trid., sess. 23, cap. VI, *de Reform.*, ibi: « Nullus ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere. » Sufficit autem huic annum esse inchoatum; prout a sacra Congregatione fuisse decisum refert Garcias, part. VII, *de Beneficiis*, cap. IV, n. 11, ac tenet Barbosa, part. III, *de Offic. et potest. epis.* allegat. 60, n. 73, citans plurimos alios. Ad dicitur vero, « de facto: » nam olim majores septennio jam poterant in beneficio intulitari; ut probat Glossa, in c. *Ex eo*, § *Ætatem de Rescriptis*, in 6.

212. *Et viginti quinque anni pro Ecclesia parochiali.* — Resp. II. Ut quis possit eligi, seu promoveri ad regimen Ecclesiæ parochialis, requirantur ex parte ipsius viginti quinque anni ad minus inchoati. Patet hoc ex cit. c. *Cum in cunctis*, § *Inferiora*, h. t., juncto, c. *Licet canon.*, eod., in 6, ibi: « Decernentes, collationes de parochialibus Ecclesiis, his qui non attigerint vigesimum quintum annum, de cætero faciendas, viribus omnino carere. »

213. *Adeo, ut dispensatus ad ordines, non sit dispensatus ad beneficium parochiale.* — Atque hoc adeo verum est, ut dispensatus ad præbyteratum ante vigesimum quintum annum ætatis recipiendum, non idcirco censeatur dispensatus ad beneficium parochiale acquirendum, nisi hoc exprimatur. Nam hæc duo sunt diversa, simulque dispensatio, veluti, vulnus uris, non est extendenda; ac proinde dispensatio facta quoad ordines, non censetur facta quoad beneficia, ut notat Abbas, c. *Liternas*, n. 6, in fine, *de Filiis presbyt.*; et Garcias, part. I, *de Beneficiis*, cap. VI, n. 72, citans alios.

214. *Ad dignitates, et personatus quibus animarum cura non subest, qualis ætas requiratur?* — Resp. III. Ad dignitates, et personatus, quibus animarum cura nulla subest, debent promovendi præsertim in Ecclesiis cathedralibus non esse minores viginti duobus annis, juxta novissimum decretum concilii Trident., sess. 24, cap. XII, *de Reformat.* Num autem vigesimus secundus annus debeat necessario esse completus, vel an sufficiat inchoatus, variant doctores. Et quidem sufficere dictum annum esse inchoatum tenet Zerola, in *Praxi episcop.*, part. I, vers. *Beneficia*, § *Ad dignitates*; Sa., vers. *Beneficium*, n. 34; Azorius, part. II, lib. VI, cap. V,

quæst. 3, et nonnulli alii; quorum opinionem in Rota receptam esse, inquit Barbosa, part. III, *de Offic. et potest. episcop.*, allegat. 60, n. 66, citans ejus decisionem, in una Verdun. canonicatus, 23 februar. 1581, coram illustriss. Seraphino, decis. 500. Econtra requiri vigesimum secundum annum completum, tenet Garcias, part. VII, *de Benefic.* cap. IV, n. 67 et seqq., allegans pro hac sententia Mandosium, tract. *de Ætate minor.*, cap. V, n. 10, et plures alios, ac trinam declarationem sacra Congregationis: idemque tenet, atque ita declaratum a sacra Congregatione attestatur Fagnanus, c. *Cum in cunctis*, n. 37, h. t. Accedit ratio: quia concilium Trident., loc. cit. vult ut taliter promovendi non sint minores viginti duobus annis: sed, qui hanc annum necdum complevit, est adhuc minor ætate, ut argumentatur Lessius, lib. II, *de Justit. et jur.*, cap. XXXIV, n. 108; ergo.

215. *Ad dignitates, et personatus quibus animarum cura non subest, qualis ætas requiratur?* — Additur notanter in conclusione, « præsertim in Ecclesiis cathedralibus. » Siquidem, an dictum decretum concilii Tridentini etiam dignitates, et personatus Ecclesiarum collegiatarum comprehendat, rursus variant doctores. Et quidem sententiam negativam tenet Zerola, ubi supra, et Barbosa, d. allegat. 60, n. 67, citans alios; eo, quod concilium Trident., loc. cit. videatur loqui solummodo de Ecclesiis cathedralibus, dum ibidem sic præfatur: « Cum dignitates in Ecclesiis præsertim cathedralibus, » etc. Allegantur insuper in favorem hujus sententiæ quædam decisiones cardinalium, quas referunt Emmanuel Rodericus, tom. I, quæst. regul., quæst. 11, art. 2; Barbosa, et alii. Econtra, quod decretum dicti concilii etiam comprehendat dignitates, et personatus in Ecclesiis collegiatis, tenet, atque a sacra Congregatione cardinalium concilii Trident. interpretum decisum refert tum Garcias, cit. cap. IV, n. 58 et seqq.; tum Fagnanus, loc. cit., n. 48 et seqq. Accedit ratio: quia in allegatis verbis concilii Trident., dictio *præsertim* est implicativa; et consequenter ea implicat, atque etiam includit dignitates in collegiatis, quamvis indicet fortiolem militare rationem in cathedralibus. Deinde ibidem paulo inferius subjunguntur illa verba, « Ad dignitates quascumque; » item, « Ad cæteras autem dignitates: » quæ sunt verba generalia, sicque universaliter intelligenda. Plura de hoc citati auctores, nam declaratio-